

LIII. Alias autem constat, quomodo verba Scriptorum Theologiæ mysticæ, etsi *ἰσπερβολικῶς* non raro sonent, æquam tamen interpretationem seu postulent, seu admittant, nisi plane a norma doctrinæ & Ecclesia meliorum seculorum degenerarint. *Dionysium Carthusianum* novimus in Tractatu de Fonte lucis, ubi de *via unitiva* aut *perfectiva* loquitur, & *divinum ac deificansem amorem*, qui ad *mysticam contemplationem* pertineat, *actus* item & *gradus* ejus exponit; sic aliquandiu differere, ut videri possit ea tribuere viatoribus, quæ beatis sunt propria, vel plane ultra hominum etiam beatorum sortem. Sed si pergas legendo ad finem Artic. XVII. *Septimum gradum & actum* sic describi invenies; quod sit, *mentem ad mysticæ Theologiæ visionem theoreticam, caliginosam ac supersplendentem* provehere. Et additur: *Estque visio illa inter communem contemplationem & beatificam patriæ visionem medio modo se habens.* Quibus denique hæc subjungit: *Octavus gradus & actus est, mentem jam fervidam, NB. post hujus incolatum exilii ad facialem ac felicissimam primæ veritatis inspectionem, ad divinæ essentiæ visionem, ad bonitatis infinitæ plenissimam, summe contentantem ac quietantem fruitionem perducere.* Manifeste igitur intuitiva Dei visio viventibus in hac vita denegatur, & post incolatum hujus exilii, in altera demum vita, consequenda pronuntiatur.

LIV. Cæterum non negligendum est, quod *Voëtius* in Exercit. Pietat. observavit; *Ipsos antiquiores & recentiores mysticis meteorologiis suis sibi non satis facere, posteriores plerumque priorum dicta suspecta habere & accusare aut emollire cogi.* pag. 77. quod dum per exempla probat, horundem, quos *Keithus* laudat, auctorum, *Ruysbrochij, Tauleri, Harpij*, censores nominat.

LV. De *Auctore Theologiæ Germanicæ* amplectimur *judicium Matth. Flacii* in Catal. Test. verit. p. m. 1870. ubi *sermonem sub obscurum esse monet, & plura clarioraque de vera ac falsa Theologia scivisse hominem, quam potuerit manifeste exprimere.* Nempe tenebræ illæ, quæ terras Christianas Papatu premebant, etsi non omnem tollerent veritatis salutaris cognitionem, efficiebant

bant